

**1981-05-11 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Semper Quidem’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

**LITTERAE APOSTOLICAE**

***SEMPER QUIDEM***

**IN URBE VULGO SEREGNO, IN ARCHIDIOCESI MEDIOLANENSI, TEMPLUM S.  
IOSEPHI AD HONOREM ATQUE DIGNITATEM BASILICAE MINORIS EVEHITUR**

Ad perpetuam rei memoriam. – Semper quidem Ecclesia catholica per longas temporum aetates memoriae Sanctorum debitum honorem atque cultum attribuit: sunt enim non solum amici fidelissimi Dei, quos Christus diligit, sed etiam patroni, sortis nostrae atque aeternae hominum fortunae solliciti. Quodsi de S. Iosepho agitur, Beatae Marine Virginis Sponso, cui sacrae Litterae praeconia tanta faciunt, amor fidelium, et studium, et religio fere in inensum crescunt. Qua de re, cum Venerabilis Frater Carolus M. Martini, Archiepiscopus Mediolanensis, id ab hac Apostolica Sede suo suique cleri ac populi nomine petierit ut templum Sancto Iosepho dicatum, quod surgit in loco suae archidioecesis vulgari sermone Seregno cognominato, ad dignitatem Basilicae Minoris eveheretur, Nos, ratione habita tum ipsius sacrae aedis, quae arte, amplitudine, reliquiis, ac maxime pietate floret, tum eius qui petiit dignitatis, bene fieri censuimus si optatis concederemus. Quae cum ita sint, iis probatis, quae Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino, factis olim a Nobis potestatibus, hac de re statuerit, placet templum S. Iosephi, in loco vulgo Seregno exstans in archidioecesi Mediolanensi, Basilicis Minoribus annumerari, cum iuribus atque privilegiis dato honori inhaerentibus, modo servata sint quae Decretum «De Titulo Basilicae Minoris» poscit, die VI mensis Iunii factum, anno MDCCCCLXVIII. Contrariis nihil obstantibus. Ceterum confidimus fore ut collata dignitas templo non modo pietatem erga S. Iosephum augeat in populo, sed etiam Dei gloriam amplificet, in cuius laudem omnia cedere oportet.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XI mensis Maii, anno MDCCCCLXXXI, Pontificatus Nostri tertio.*

**AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis**